RVDIMENTA PIETATIS.

1. TIM. 4. ver. 8.

PIETAS AD OMnia vtilis est, promissiones habens præsentis & futuræ vitæ.



EDINBVRGI

EXCVDEBAT ROBERTUS *Walde-graue* Typographus Re*gius.* 1595.

Cum Priuilegio Regio.



NOBILISSIMO HEROI, AC DOMINO, D. ANDREAE, ROTHESIAE Comiti, *Leslaei* Regulo, Baroni in BALMBRIGHT, *&c.* FIFÆ præfecto, Et Reip. CUPRENSIS *Prætori amplissimo.*



EN *affero tibi (illustriß. Comes) et cum obsequio meo in Christo offero munusculũ hoc literarium, exiguum quidem mole, non pondere. Nil maius sub cælo: Imo maius est cælo, quod hîc agitur. Gloria Dei, via ad Deum, ipsa beatitate numquid maius? Atq; hinc huic scriptioni causa. Cùm enim tenera ac herbescens ætas meæ fidei (Deo sic volẽte) commissa esset, pietate imprimis imbellia illa pectora adversus tot immanes, & turbulentos tentationum fluctus à Satana excitari solitos, munienda & saburrãda*

existimavi: alienū ratus à genio & ingenio pietatis, iuventutem pietatis expertem, & à pietatis studÿs incredibiliter aversam, humanis disciplinis erudire, nec divina illa sapientia è cœlesti fonte hausta diluere. In toto autem hoc negotio. I. N. *Ecclesiæ nostræ lumen, in facili illa & compendiaria sua Catechesi vulgi sermone edita, facem mihi prætulit. Pleraq; inde in linguam latinam ad Scholæ nostræ vsum transfusa huc accersivi, & cum priori grammaticarum institutionum parte coniungēda curavi: Imo præferenda. Quidni? pietatem eruditioni plurimis, infinitis parasangis anteire: Amplius, eruditione, ni pietatem comitē habeat, Imo ducem, nil in fœlicius aut capitalius esse, omni contentione assevero. Vmbram autem nominis tui (Nobiliss. Comes) si sinis, elegi, vbi lateam: ut, sicubi sycophanta incurset, aut invidus conetur rodere, tutus sim: nec virulentos morsus pertimescam. Vale in Christo.*

T. C. studiosissimus. *A. D.*

RUDIMENTA PIETATIS.

Triplex Hominis status.

1 In sanctitate & sanitate.
2 Sub peccato & morte.
3 Sub Christi gratia.

Questio.



Vis Hominem creauit? 1 Homo liber, cum creatus.

Respons. 1. DEUS.

Q *Qualê creauit eum?*

R 2 Sanctum & sanum, mundiq; Dominum.

Q *In quem usum creatus est?*

R 3 Ut Deo inserviret.

Q *Quod servitij genus ab eo exigebat Deus?*

R 4 Legis suæ præstationem.

Q *Num in Legis Dei præstatione perstitit?*

R 5 Nequaquam: ſed eam fœdè transgreſſus eſt.

Q *Quæ huius transgreſſionis pœna?*

R 6 Mors æterna tum animæ, tum corporis,[a] & ipſi, & poſteris.

a Captivus, cum peccauit.

Q *Quomodo inde liberamur?*

R 7 Mera Dei gratia, in Chriſto Ieſu, abſque noſtris meritis.

3 Liberatus cum credit in Chriſtum

Q *Cuiuſmodi perſona eſt Chriſtus?*

R 8 Verè Deus, veréque homo in perſona vna.

Q *Quomodo nos liberavit?*

Modus liberationis, per mortem Chriſti.

R 9 Morte ſua: mortem enim nobis debitam pro nobis ſubijt, noſque eripuit.

Q *Num omnes liberantur per Chriſtum?*

Qui liberati, fideles.

R 10 Minime: ſed ij tantùm qui fide eum amplectuntur.

Q *Quid eſt Fides?*

Fides quid.

R 11 Cum mihi perſuadeo Deum me omneſque Sanctos amare, nobiſque Chriſtum cum omnibus ſuis bonis gratis donare.

Fidei ſumma.

Q *Recenſe ſummam tuæ fidei?*

R 12 Credo in Deum Patrem, &c.

Fidei author Spiritus S.

Q *Quis operatur hanc fidem in nobis?*

Inſtrumenta

R 13 Spiritus ſanctus, per verbum

et

& Sacramenta.

Q *Quomodò eam operatur per verbum & sacramenta?* — Verbum, & Sacramenta

R 14 Aperit cor, vt Deo loquenti in verbo & sacramentis credamus.

Q *Quid est Dei verbum?*

R 15 Quicquid veteris, ac novi Testamenti libris continetur. — Verbum Dei quid, scz. Scriptura.

Q *Verbi Dei quot partes?*

R 16 Duæ: Lex & Evangelium. — Verbi Dei partes: Lex, Evangelium.

Q *Quid Lex?*

R 17 Doctrina Dei debitum à nobis exigens, & quia non sumus solvendo, damnans. — Lex quid.

Q *Quid Evangelium?*

R 18 Doctrina, Christum cum omnibus suis bonis offerens, debitumq; nostrum ab eo solutum, nosque liberos esse proclamans. — Evangelium quid.

Q *Quid Sacramenta?*

R 19 Sigilla Dei significantia & donantia nobis Christum cum omnibus suis bonis. — Sacramenta quid.

Q *Quæ hæc Christi bona?*

R 20 Amor Dei, Spiritus sanctus, vnio nostri cum Christo, vnde remissio peccatorum, sanatio naturæ, spiritualis nutritio, & vita æterna. — Beneficia Sacramentis obsignata.

Quot

Q *Quot sunt novi Testamenti Sacramenta?*

Sacramentorum numerus. R 21 Duo: Baptismus, & Sacra Cœna.

Baptismus quid. Q *Quid Baptismus?*

R 22 Sacramentum insitionis nostri in Christum, & ablutionis à peccatis.

Q *Quid insitio nostri in Christum?*

Insitio nostri in Christum quid, & eius effecta. R 23 Vnio nostri cum Christo [a] vnde manat remissio peccatorum, & perpetua resipiscentia.

Q *Baptismus quid iuvat fidem?*

Baptismi vsus ad fidem. R 24 Testatur, vt aqua corpus abluitur, sic operante Spiritu sancto, à peccatorum reatu, & radice per fidem in sanguine Christi nos repurgari.

Cœna Domini quid. Q *Quid est sacra Cœna?*

R 25 Sacramentum spiritualis nutritionis nostri in Christo.

Q *Cœna Domini, quid iuvat fidem?*

Cœnæ vsus ad fidem. R 26 Testatur vt pane & vino corpora nostra aluntur, & augescunt: sic animas nostras corpore & sanguine Christi crucifixi, ali & corroborari ad vitam æternam.

Q *Corpore & sanguine Christi quomodo alimur?*

27 Dum

R 27 Dum fide percipimus, & [a] vi Spiritus sancti, qui vnà adest, ea nobis applicamus. Modus spiritualis nostri nutritionis.

Q *Quando Fide percipimus, & nobis applicamus corpus Christi crucifixi?*

R 28 Dum nobis persuademus Christi mortem, ac crucifixionẽ non minùs ad nos pertinere, quàm si ipsi nos pro peccatis nostris crucifixi essemus: persuasio autem hæc est veræ fidei.

Q *Vera Fides quomodo dignoscitur?*

R 29 Per bona opera. Veræ fidei examen per bona opera.

Q *Quomodò cognoscuntur bona opera?*

R 30 Si Dei legi respondeant. Bonorum operum examen per Dei legem.

Q *Recita Dei Legem.*

R 31 Audi, Israel, Ego sum, &c.

Q *Hæc Lex de quibus te admonet?*

R 32 De officio meo erga Deum, & erga proximum. Summa Legis, & vsus.

Q *Quid officij debes Deo?* 1 Tabula.

R 33 Supra res omnes eum vt amem.

Q *Quid debes Proximo?* 2 Tabula.

R 34 Eum vt amem tanquam me ipsum.

Q *Potis es hæc præstare?*

R 35 Minimè gentium: nam tantisper Præstatio le-

gis homini impossibilis propter inhabitans peccatum. tisper dum hic vivimus, habitat in nobis peccatum.

Q *In Dei filijs, quid hinc existit?*

Intestina in homine dissensio inter carnem & spiritum. R 36 Perennis pugna inter carnem & spiritum.

Q *In hac pugna, quomodo nobis versandum?*

Remedium, precatio. R 37 Asiduè orandum, vt Deus peccata nobis remittat, imbecillitatemq; sustentet.

Q *Quomodo orandum?*

Precatio Christi. R 38 Vt nos docuit Christus: Pater noster: &c.

Q *Quî tibi persuades, Deum donaturum, qua petis?*

Fiducia inter precandum vnde, scz ex Dei mandato, & promissione. R 39 Quia orare jussit, pollicitusque est, quicquid peterem in Christi nomine, se mihi largiturum.

Q *Quid debes Deo, ob tot beneficia?*

2. Quæ Deo debemus ob tot beneficia, sz. gratiarum actio & servitium. R 40 Vt ei gratias agam, perpetuòq; serviam.

Q *Quomodo Deo serviendum?*

Norma servitii Dei, Scriptura. R 41 Ex verbi ipsius præscripto, vt jam dictum est.

FINIS.



AD LECTOREM.

SCholia hæc in antegressa dedimus, non tam ad amoliendas, aut emolliendas vllas difficultates, aut tenebras dispellendas: (quid enim apertius aut planius?) quàm ad excitandam legentium animadversionem, affectumque accendendum & sufflammandum erga Deum: Non eo tamen consilio vt tenerioribus aut discentibus obtrudantur: Tametsi possit fieri inde, vt provectiores in secretiora quædam Christianæ Religionis adyta oculos animosque intendant. Vale.



SCHOLIA,

12  Rimæva Dei in hominem beneficia, 1. quod esset, 2. quod homo esset. 3. quod Dei similis, nempè sanctus & sanus, mundique Dominus.

2 Ex lapsu enim cum in peccatum, tum in morbum mortemque incidimus. Peccato enim non modo fœdati rerumque dominio exuti, sed grauiter vulnerati, atque adeò trucidati sumus. Porrò vide, vnde miser homo excidit, fuit beatus primũ in internis æternisq;, deindè in externis: interna fuerunt, sanctitas sanitasque omnium partium animæ, corporis, &c. Externa, rerum dominium, opes; copiæ. &c. Sed fraude Diaboli his omnibus fuit eversus, factusque miser.

3 Nam, 1. quid æquius, quàm vt opi-

opifici opus ſuum ſerviat, 2. quid nobis conducibilius, quam finem ob quem conditi ſumus, aſſequi: ea enim eſt noſtra fœlicitas. 3. Non es factus in alium finem, quam vt ſervias Deo: Vnde ni ei ſervias, nulli es ei vſui, niſi vt in æternum pereas, juſtitiæ ejus declarandæ cauſa.

6 Mors duplex: animæ & corporis, in hac vita moritur anima, ſimulac peccat: Deum enim qui animæ vita eſt, deſerit. Moritur corpus, dum ab anima deſeritur. In futura vtrumque morietur, dum ſęuiſsimis, ſempiterniſque ſupplicijs totus homo mactabitur.

(*a*) Hæc pœna inflicta eſt poſteris, quia omnes in *Adamo* peccavimus, qui autem peccat jure punitur. Peccati enim comes eſt pœna, vindice Iuſtitia.

8 Homo fuit vt mori poſſet, hominiſque debitum exoluere: Deus, vt moriendo mortem vinceret, ne mors Dei, hominiſque hoſtis, amplius in hominem dominaretur.

9 Ex peccato debitum contraximus, vnde obligati ſumus vt ęternùm mor-

morereremur, ſed pertulit hanc mortem Chriſtus pro nobis,noſq; exoluit

10 Nam juſtus ex fide vivit: & qui fide caret, ei ſub morte & ira Dei æternùm habitandum eſt.

11 Nam in fide eſt duplex perſuaſio. 1. De amore Dei erga nos. 2. De Dei beneficijs, quæ ex eo amore fluunt, Chriſto nimirum cum omnibus ſuis bonis. Hinc duæ ſymboli partes. 1.De Dei Patris,Filij,& Spiritus ſancti amore erga nos, qui elucet ex ijs quæ noſtri cauſa præſtiterunt. 2. De Dei beneficijs in nos collatis. Ex gemina autem ea perſuaſione naſcitur fiducia,cùm inſolidum à Deo pendemus. expende Symbol.

14 Vndiq; obſtructum eſt cor hominis, tenebriſque & omni perverſitate refertum,vt nullus ſit aditus Dei verbo,aut ulli rei bonæ. Sed Spiritus ſanctus accedens id aperit,facem cœleſtis veritatis infert, & hoc Augiæ ſtabulum expurgat.

16 Deus Lege exigit debitum ſuum:debitum autem eſt, vt aut legem exequamur,aut æternùm pereamus: elucet hîc Dei juſtitia. Evangelio declarat

clarat, & Sacramentis obſignat, hoc debitum eſſe ſolutum à Chriſto, noſque liberos, ſi Chriſtus fiat noſter: fit autem noſter, ſi credimus. Atquè hîc relucet Dei miſericordia: vtrobique verò hominis miſeria abſq; Chriſto.

19 Nam Sacramenta non modò ſignificant Chriſtum, ſed eum etiam donant cum omnibus quæ habet: Imò eſſe nobis in verbo donatum confirmant & obſignant: ſunt enim ſigilla. Ergo quid ſi ſic definiam? Sacramenta ſunt Dei ſigilla certum me facientia Chriſtum eſſe mihi donatum cum omnibus ſuis bonis. Nam Deus Chriſtũ cum omnibus quæ habet, verbo nobis offert. Nos fide recipimus, & poſsidemus. Spiritus autem ſanctus hanc poſſeſsionem ſacramentis obſignat.

22 Baptiſmus obſignat cœleſtem natiuitatem: cœna educationem noſtri in Eccleſia.

23 Vnum cum Chriſto facti, quicquid ille habet, nos accipimus: & quicquid ab eo præſtitum eſt, Deus nos exiſtimat id omne præſtitiſſe, nos ergo in Chriſto ſatisfecimus pro peccatis,

catis: nos cum Christo peccatũ crucifiximus, ne in nos vltra tyrannidem exerceret: nos in illo tam placemus Deo, ac si nunquam peccassemus.

(*a*) Christus liberavit nos tum à damnatione peccati, tum à dominatione seu tyrannide: mortuus est enim pecc. & pro pecc. Quà mortuus est pro pecc. meritus est nobis remissionem: satisfecit enim: vnde reatum & damnationem abolevit. Quà autem mortuus est peccato, peccati tyrannidem fregit, simulque sanavit naturã: peccatum enim cum eo crucifixum est & extinctum: nos liberati. Hinc perpetua in nobis resipiscentia & totius naturæ renovatio.

24 In pecc. sunt duo: reatus & radix. Reatus est obligatio ad pœnam ob pecc. Radix est corrupta natura, vnde peccata manant. Christus morte sua vtrumq; sustulit. Reatum quidem, dum meritus est peccatorum remissionem. Radicem, dum peccatum cruci affixum vi mortis ipsius est peremptum.

25. 26 Vt Baptismo nascimur Dei filij: ita cœna nutrimur, & in robustos

& perfectos viros augescimus.

27 Nil à Deo ad salutem accipimus, nisi interventu fidei. Nî enim persuasum habeas te accipere, non accipis.

(a) Quæ morte meritus est Christus, operante Spiritu S. duntaxat accipimus. Nam Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quicquā. *Ioan.* 6, 63.

28 Quidnî id nobis persuaderemus? si Christus sit noster, omnia quę Christus habet, fiunt nostra ipso jure. Si caput est Christus, nos ejus membra: quæcunque aut fecit aut perpessus est, ea Deus nobis accepta fert. Mors ergo, & merita, omnia denique Christi, sunt nostra, judicio Dei: vt Deus jam nil adversum nos habeat magis quam adversum ipsum Christum.

29 Nam fides cum malis operibus esse nequit: quia. 1. qui fidelis est, vir bonus necessariò est: boni autem natura est benè agere. 2. Vbi fides, ibi regnat Dei Spiritus: At vbi mala sunt opera, regnat Diabolus. 3. qui fidem habet, habet Christum, at qui possi-

 det

det Christum, num malus erit? Num Deus dedit tibi filium suum, & Spiritum sanctum, vt Diabolo servias?

30 In bono opere duo sunt. 1. vt sit bonum. 2. vt bene fiat: ex fide scz. ad Dei gloriam. Dat quispiam Eleemosynam, si ad ostentationem (vt *Matth*. 6. 2) bonum opus facit, sed non bene.

33 34. Supra te ipsum amare debes Deum: at Proximum vt teipsum: Dei gloriã ergo promoveres, quamvis tibi exitio sit futura: quantò magis cum nostrum sit summum bonũ, & fœlicitatem vnicè pariat?

36 Caro sunt omnes vitiosi affectus in homine, ipsaq; vitiositas: Spiritus est sanctitas, sanitasq; naturæ, & boni motus inde promanantes, operante Dei spiritu. Verum hæc sanctitas dum vivimus imperfecta est, vt vitiositatem nequeat penitus expurgare, & expugnare. Hinc pugna hæc: Spiritus enim est à Deo, Caro à Diabolo.

37 Duo hostes intra nos, quibuscum jugiter deluctandum: 1. Peccata: 2. Naturæ corruptio, vnde tentationes:

tiones : Hinc in oratione Dominica petimus peccatorum remiſsionem,& victoriam de tentationibus.

38 Hæc omnium precationū norma eſſe debet, quæ licet diſcrepent verbis:re certe,& ſenſu non diſcreparent.

39 Duo nos certos facerent Deum nos exauditurum: 1. quia toties & tam ſeriò petere juſsit. Homo quiſpiã paulò humanior, (nedum Pater) num juberet petere, quod nollet dare? 2. quia vltrò & ſæpè pollicitus eſt ſe daturum. Cur eſſet pollicitus? num gloriatur fidem fallere, & nos decipere?

40 Antè accepta beneficia vult nos petere;poſt accepta,gratias agere:nil præterea pro tot beneficijs exigit.

41 Si feceris, quod præcipitur in Scriptura, non dubium quin Deo ſis placiturus, ſalutemque conſequuturus:quid opus ergo alijs (ô Papiſta,) ad Dei cultum?

FINIS.